

a se incipit, quia ex eo quod libere aliquid vult, necessitatur ad volendum id quod tali objecto connexum est: ergo illa necessitas oritur ex priori volitione. Non ergo primordialiter ab objecto nascitur aliqua necessitas in voluntate divina, sed ab ipsamet derivatur. Simpliciter ergo quæcumque extra Deum sunt, libere vult quoad exercitium, et efficacem voluntatem, qua dat eis esse.

XI. Dico tertio: Nulla necessitate obligatur divina voluntas in ordine voluntatis efficacis, et productivæ rerum in esse ad amandum ea quæ meliora sunt in esse physico, sed neque ad ea quæ meliora sunt in esse morali, aut ad majorem ipsius gloriam videntur conducere absolute et secundum se, sed semper eligit meliora respective, id est, secundum proportionem et respectum ad finem præsuppositum, et ad suæ sapientiæ ordinem, et dispositionem. Loquimur in hac conclusione de voluntate, et amore efficaci qui versatur circa creaturas existentes. Nam circa mere possibles jam supra diximus Deum non habere amorem, nisi quatenus continentur in omnipotentia sua. Quod si aliquam de eis habet complacenciam, unamquamque æstimat, et vult juxta gradum suum, et non aliter. Loquendo ergo de voluntate efficaci, qua res producuntur in esse, prima pars conclusionis extra omnem controversiam est; constat enim quod ultra omnem creaturam quam Deus de facto produxit in hoc universo, vel producet, posse facere alias species, et individua perfectiora, et ea quæ fecit, in accidentibus meliorare sine termino, quia potentia ejus infinita est, et infinitis modis participabilis, et sic qualibet data, potest alia melior fieri: ergo non necessitatur voluntas divina ad eligendum, et volendum perfectiora

in esse physico, et ad dandum eis esse, sed infinita reliquit in statu meræ possibilitatis, quibus si daret esse, perfectiora essent his quæ modo produxit: sicut etiam ex Angelis et hominibus quoad esse supernaturale gloriæ multos reliquit nobiliores in esse naturali: *Et contemptibilia mundi elegit, ut confundat fortia et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus*, 1 ad Cor. I.

XII. Circa secundam partem conclusionis aliqui hærent, putantes Deum morali quadam necessitate eligere id quod magis decet suam gloriam, attentis omnibus circumstantiis, non quia semper eligat id quod melius est secundum se, sed quod comparative est melius, id est, decentius ad suam gloriam omnibus attentis, sicut oculus secundum se est melior aure, et pede, non tamen debuerunt omnia membra esse oculi, quia id non erat melius comparative ad totum corpus, et consequenter neque comparative ad decentiam divinam, et providentiam, quæ magis providet toti, quam parti. Et pro hac sententia stat p. Granados hic disp. III, sect. II: Ruiz, disp. IX, et X de voluntate. Cui refragatur Suarez, I tomo, III p. disp. IV, sect. III, in fine: Vazquez, I pendisp. CVII, cap. II, cum multis aliis quos por se citat p. Alarcon, tract. de voluntate, disp. III, c. VII.

XIII. Cæterum lis ista modica videtur, et ex doctrina D. Thomæ eam compono. Sub duplici statu possumus considerare divinam voluntatem. Primo, supponendo aliquem determinatum finem et statum rerum, quo volito, et amato juxta suam sapientiam, et reliqua omnia in pondere et mensura, et ordine decentissimo constituit ad majorem gloriam suam, non absolute, sed pro illo statu, et ad hoc tenetur debito morali justitiæ suæ distribu-

tivæ seu providentiæ suæ, quæ rectissima est. Alio modo potest considerari voluntas divina absolute antequam determinatum aliquem statum rerum et finem eligat, et tamen intellectus divinus proponit illi infinitos rerum ordines, et omnes divitias omnipotentia suæ, ut ex infinitis rerum combinationibus eligat quod voluerit, ex quibus omnibus potest resultare gloria sua, licet extrinseca, et a qua nullo modo dependet, quia sine illis omnibus perfectissimam gloriam habet in se, et comparatione substantialis et intrinsecæ gloriæ suæ valde modicus est omnium creaturarum cumulus, et quod perfectiores vel minus perfectæ eligantur a Deo, parvi momenti gloria Deo accrescit, scilicet sola gloria extrinseca. In hoc ergo statu, vel in hoc signo considerata voluntate, dicimus nullo debito, aut necessitate morali teneri voluntatem divinam eligere id quod est majoris gloriæ extrinsecæ, sed potest quod minus est eligere juxta beneplacitum suum et liberrimæ voluntatis suæ consilium.

XIV. Elicio hanc resolutionem ex S. Thoma, qui in primo ad Annibaldum dist. XLIV, quæstione unica, a. III, sic inquit: « Modus Deus facit res potest intelligi dupliciter. Uno modo ex parte illa qua exit ab operante, et sic non potest Deus meliori modo facere res quam facit, quia modus ille sequitur bonitatem et sapientiam facientis, quæ est infinita. Alio modo ex parte facti, et sic absolute loquendo Deus potest facere res meliori modo quam facit, quia potest eis meliorem modum essendi tribuere: sed ex suppositione divini ordinis, quo unicuique finem certum præfixit, non potest fieri meliori modo. » Et loquitur etiam de melioratione in ordine ad gloriam Dei, quia eodem tenore loquitur in alio primo sententiarum, distinctione si-

militer XLIV, q. I, a. II, et dicit: « Quod ex parte ordinis ad finem qui est Deus (ista est gloria Dei) secundum quod cresceret bonitas partium universi, et ordo earum ad invicem, potest meliorari ordo in finem, ex eo quod propinquius ad finem se habent quanto similitudinem divinæ bonitatis magis consequerentur, quæ est omnium finis. » Ipsa ergo gloria extrinseca Dei potest melior esse, et tamen non est electa sic de facto a Deo. Et subdit solutione ad primum, quod Augustinus loquitur de ordine universi, supposita natura talium partium, quia sic melior ordo esse non potuit. Manifeste ergo tradit nostram conclusionem. Videatur etiam hac prima parte, q. XXI, a. IV, et q. XXV, a. VI, ad III, ubi docet quod: « Universum (suppositis istis rebus) non potest esse melius propter decentissimum ordinem attributum istis rebus a Deo, in quo bonum universi consistit. Posset tamen Deus alias res facere, vel alias addere illis rebus factis, et sic esset illud universum melius. » Quibus verbis nostram tradit sententiam, quod scilicet suppositis istis rebus, ex quibus hoc universum constat, non potest esse melius quantum ad decentiam ordinis eis attributi, bene tamen res alias potest facere, aut factis addere, et tunc esset aliud universum et alius ordo rerum, et illud universum esset melius. Quare non tenetur Deus eligere quod melius est simpliciter, licet ex suppositione alicujus finis, vel status teneatur decentissimum ordinem providere juxta mensuram et finem ad quem ordinat.

XV. Et ratio utriusque dicti ex eo desumitur, quia quando Deus determinat aliquem finem, seu statum rerum, illumque eligit, tota decentia, seu bonitas illius status, et illarum rerum quas eligit non jam est absoluta, sed respectiva, et propor-

tionata, videlicet non quantum in se potest esse perfecta et melior, sed quantum pro commensuratione illius finis congruit; non est autem aliquis finis præsertim universalis et generalis, qui non possit a Deo intendi et consequi multiplicibus viis, et mediis, sicut prædestinationem hominum posset consequi per statum innocentiae si durasset, et sine illo ut modo fit, et per redemptionem rigorosam, qualis per mysterium incarnationis fit, aut sine illa gratis remittendo peccata per gratiam suam; et idem est de multis aliis rebus, quæ diversis mediis possent consequi. Unde pertinuit ad infinitam Dei sapientiam determinare statum aliquem, et mensuram, seu regulam ponere juxta quam res determinate, et in singulari fiant et ordinentur. Et dicimus quod supposita determinatione ista, tenetur decentissimum ordinem eligere debito suæ providentiæ et sapientiæ, eo quod ordo illo rerum accipit totam decentiam ex respectu ad illum finem sic regulatum per divinam sapientiam; non potest autem decentior ordo inveniri, quam qui est regulatus a Deo, et a sapientia Dei, juxta proportionem ad finem a se determinatum: licet enim possent res meliores fieri absolute, et meliora media adhiberi, quæ in se entitative meliora essent, tamen supposita mensura, et regula Dei qua determinavit hunc finem, incipiunt media induere decentiam quamdam respectivam et convenientiam, quatenus deserviunt et adæquantur, non solum fini illi absolute et secundum se, sed ut determinato, et mensurato per divinam sapientiam, et bonitatem: sed ordo qui reperitur in mediis in ordine ad consequendum finem ut regulatum et mensuratum a Deo, ex hoc ipso habet majorem et superiorem decentiam, quam quodcumque aliud medium solum

consideratum ad istum finem in sua entitate, aut ad quemcumque alium finem in sua entitate meliorem, sed nondum a Deo mensuratum et regulatum et determinatum, et Deus tenetur debito suæ providentiæ, et suæ justitiæ atque honestatis ordinare omnia media ad regulas suæ sapientiæ, et bonitatis, et ad finem illum non absolute in se, sed ut determinatum et regulatum a divina sapientia et bonitate: ergo tenetur decentissimum et perfectissimum ordinem servare, suppositis istis rebus (ut dicit S. Thomas) quia tenetur servare ordinem regulatum a sua divina sapientia et bonitate.

XVI. Ex eodem autem principio manifestatur, quod in illo priori, in quo nondum intelligitur Deus determinare et eligere hunc finem vel statum finis præ alio, nulla morali necessitate, aut debito obligatur ad eligendum id quod melius et perfectius est secundum se, etiam hoc intuitu, ut inde resultet major gloria Dei. Quia tunc hoc debitum non nascitur ex aliquo priori actu voluntatis divinæ præsupposito, sed solum proponuntur divinæ voluntati ipsæ creaturæ, et variæ combinationes possibles, in quibus sunt varii gradus perfectionis, et consequenter ex illis varie resultare potest gloria Dei magis vel minus, si Deus voluerit illas eligere. Cæterum hæc major, vel minor gloria ut nascitur ex ipsis creaturis, seu fundatur in illis, nullum debitum, aut necessitatem moralem inducit Deo, ut eligat id quod præstantius et melius est, etiam in ordine ad gloriam suam, prout tenet se ex parte creaturarum, et fundatur in illis, sed potest eligere id quod minus est: tum quia gloria Dei considerata ex hac parte, id est, ut tenet se ex parte creaturæ, et in illa fundatur, quacumque data, et proposita, semper restat alia perfectior et perfectior in infinitum, ergo nun-

quam potest Deus eligere id quod præstantissimum est, sed semper eligit aliquid minus, quia semper restat aliquid majus ex parte creaturæ producibilis ad majorem gloriam Dei: ergo nullo debito morali potest teneri ad eligendum melius. Tum etiam quia dato quod eligeret id quod melius, et præstantissimum est ad gloriam suam vel eligit illud libere, vel necessario. Si necessario, non est electio, sed coarctatio, et sic Deus non libere daret esse illis creaturis, sed necessario, quod est impium. Si libere: ergo potuit relinquere melius objectum, et accipere id quod minus est, nullo debito morali adstrictus, quia si aliquo adstringeretur, teneretur exequi illud, et sic non esset liber in oppositum. Tum denique, quia gloria quæ provenit Deo ex perfectiori creatura, vel ex minus perfecta, licet inter ipsas creaturas sit magna distantia, et una longe melior alia, tamen comparatione ad Deum cui adest infinita gloria ex semetipso, nihil momenti affert, quod a perfectiori creatura reddatur gloria illa extrinseca, vel non reddatur. Imo totus creaturarum cumulus comparatione ad Deum quasi nihil et inane reputatur et quasi gutta roris antelucani: ergo non est aliquid considerabile ista major vel minor gloria extrinseca, et ex creaturis orta, ut inferat aliquod debitum, vel necessitatem moralem in Deo ad diligendum id quod potest esse objectum majoris gloriæ, quia cum sit gloria valde extrinseca, nullo modo dependet Deus ab illa, nec in physica sua entitate, nec in sua morali decentia.

XVII. Sed objicies primo: Nam in Deo fatemur summam libertatem respectu creaturarum, et ob id negamus illi debitum, seu necessitatem aliquam moralem ad eligendum quod melius est: ergo eadem ratione debemus negare necessitatem

aliquem quoad specificationem respectu creaturarum, sed solum respectu suæ bonitatis, respectu cuius etiam habet Deus necessitatem in exercitio, et ita debet in Deo coincidere necessitas quoad specificationem et quoad exercitium, vel utraque negari. Consequentia probatur, quia summa libertas debet excludere omnem modum necessitatis: ergo etiam debet excludere necessitatem quoad specificationem, hæc enim aliquo modo excludit libertatem, et sic opponitur summæ libertati.

Et confirmatur, quia creaturæ nullo modo pertinent ad specificum objectum Dei, nec divinum esse, aut beatitudo ab eis ullo modo pendet, sed sunt objectum mere secundarium et materiale divinæ voluntatis potiusque ab ea pendent, quam Deus ab illis: ergo nullo modo necessitant Deum quoad specificationem actus. Patet consequentia, quia voluntas solum necessitatur quoad specificationem ab objecto specificativo suo, vel ab eo quod requiritur ad ipsam beatitudinem vel esse rei, ut S. Thomas docet 1-2, q. x, in c. ii, et ad iii, ergo cum creaturæ nullo modo pertineant ad objectum specificum voluntatis Dei, nec ad habendum finem, et beatitudinem divinam, non necessitant quoad specificationem. Nec dici potest, quod Deus necessitatur ad non volendum malum, quia malum non est capax volitionis, et complacentiæ Dei. Nam contra est, quia ante voluntatem Dei prohibentem, seu legem Dei, non datur peccatum, hoc enim est malum quod est contra legem et voluntatem Dei: ergo voluntas ejus non necessitatur ab illo objecto quoad specificationem, sed a se. Et e contra, illud est bonum quod est conforme voluntati suæ; ergo ex sua voluntate et non ex objectis sumit necessitatem quoad specificationem, quia sua voluntas est regula totius

rectitudinis et bonitatis. Et ob hoc solum, ut diximus, Deus facit quod melius est semper, quia facit quod est debitum regulis, et ordini suæ voluntatis; ergo ex ipsa sumenda est mensura necessitatis quoad specificationem non ex objectis.

XVIII. Respondetur necessitatem quoad specificationem in Deo non oriri ex ipsis objectis creatis ut supra diximus, sed primordialiter, et per se ex ipsa divina bonitate, quæ est specificativum objectum voluntatis divinæ, et principium unde derivatur bonitas creata, participative tamen inveniri in ipsis objectis, quatenus a voluntate et bonitate divina participant aliquid quod non est capax displicentiæ, ut bonum honestum et subordinatio ad Deum; et similiter aliqua ita deficiunt a Deo, et permittuntur ab ipso, quod solum sunt capacia displicentiæ divinæ, ut peccatum, et sic necessitatur voluntas divina ad abominandum illud ex specie sua. Fatemur ergo in Deo summam libertatem, et quod non adstringitur aliquo debito ad eligendum id quod melius est ex se, et ex propria perfectione creata. Negamus autem consequentia, quod huic libertati aliquo modo opponatur necessitas quoad specificationem, ut supra satis ostendimus: quin potius libertas contrarietatis, scilicet ad bonum et malum est imperfecta et defectuosa ex ea parte, qua est ad malum, quia hoc non nisi deficiente amari potest, et sic talis libertas contrarietatis ad bonum et malum, est idem quod libertas ad efficiendum et deficiendum, quod imperfectionem importat, et Deo concedi non debet.

XIX. Ad confirmationem respondetur, quod necessitas quoad specificationem orta ex ipso objecto respectu voluntatis, non invenitur nisi in objecto specificante, et in iis quæ pertinent ad beatitudinem, vel sine

quibus beatitudo stare non potest, ut esse, vivere, et similia, ut loquitur D. Thomas loco citato ex prima secundæ. At vero necessitas quoad specificationem orta ex ipsamet voluntate, et communicata ac derivata ad ipsa objecta secundaria, quia ex se bonitatem non habent, nisi participata a divina bonitate, talis necessitas participata non debet convenire ex vi objecti, sed participari debet a voluntate in objectum materiale et secundarium. Nec talis necessitas participata dicitur necessitas quoad specificationem, quia necessaria fit quoad speciem actus, aut ab ea actus dependeat; sed quia incapax est ne alia species actus versetur circa tale objectum, nisi complacentia seu volitio, non displicentia seu volitio, quia bonum honestum est, et subordinatum Deo, et hoc totum a Deo participat. Ad id vero quod dicitur de malo, respondetur quod malum illud quod est intrinsece annexum alicui actui, ut odio Dei, licet ut sit peccatum formaliter requirat legem, tamen quia ex se et ex intrinsecis fundat malitiam, et fundamentaliter est peccatum, ideo quoad specificationem necessitat voluntatem ut prohibeat illud, non quia actus dependeat a tali objecto, sed quia non est capax alterius actus si circa illud detur, nisi prohibitionis, et abominationis, et sic non est in potestate voluntatis amare illud, sed licet possit in exercitio non explicare aut promulgare legem circa illud, tamen si actum exerceret circa illud, non potest non esse prohibitio et abominatio, propter incapacitatem objecti, ut ametur amore non defectuoso. Et sic ex incapacitate necessitat quoad specificationem, non ex motione qua moveat illam de necessitate. Quod vero dicitur id esse bonum quod est conforme divinæ voluntati, et sic ex se non necessitare quoad specificatio-

nem, probat quod necessitas quoad specificationem non oritur primario et per se ex virtute objecti creati moventis, sed ex bonitate et voluntate divina sibi bonum communicantis, et hoc jam concessimus.

XX. Secundo objicies: Nam D. Thomas sæpe docet Deum facere id quod melius est ex parte ordinis faciendi, nec posse melius universum in ratione universi fieri, nec meliorem mundum, ut docet infra q. xxv, art. vi et q. xlvii, art. iii ad ii, et alibi; sæpe imo hoc ipsum ipsa Scriptura dicit, et Ecclesiast. iii: *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perseverent in perpetuum, non possumus ei quidquam addere, nec auferre quæ fecit Deus ut timeatur*: ergo in ordine ad timorem seu reverentiam Dei, et ad ejus gloriam nihil melius potest fieri, quia sic posset aliquid eis addi vel auferri. Similiter Ecclesiast. xxxix dicitur: *Opera Domini universa bona valde*: et Genes. i: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*. Et similia multa in Scriptura occurrunt, et passim apud sanctos patres qui dicunt Deum semper voluisse et fecisse meliora, quos late citat Ruiz ubi supra, et Grados citata sectione ii, præsertim Augustinus, libro de quantitate animæ, c. xxxiii, ubi dicit: « Sic sunt omnia ut omnino melius esse non possint. » Et Damascenus, libro ii fidei, c. xxix: « Sic fieri omnia, inquit, Dei providentia, ut meliori modo existere prorsus nequeant. » Et eodem sensu multi alii patres loquuntur. Imo Aristoteles dixit viii physic. text. lvi: « Id quod præstat, in natura esse, modo possit, arbitramur; » ergo auctor naturæ semper melius seu præstantius operatur.

Confirmatur, quia non est dubium quod inter creaturas, una est magis amabilis, quam alia, non solum physice, quia una est perfectioris

entitatis, quam alia, sed etiam moraliter, quia ex una desumitur major gloria Dei, quam ex alia: sed constat, quod ille qui perfecte vult et amat aliquem, vult illi id quod melius est, sicut justi qui amant Deum in hac vita volunt ei id quod est ad majorem ejus gloriam: ergo cum Deus velit se perfectissime, vult sibi id quod perfectissimum et melius est, et cum non possit non se diligere perfectissime, ex hac parte tenetur velle semper id quod melius est ad gloriam suam, et id quod per intellectum suum judicat melius esse, quia perfectior est amor, qui perfectiori judicio conformatur.

Respondetur auctoritates S. Thomæ contra nos adduci non posse, cum stet pro nobis, ut vidimus locis supra allegatis, solum enim affirmat ex suppositione et denominatione finis electi a Deo non posse aliquid melius fieri non absolute, sed secundum ordinem, et respectum ad istum finem, et statum rerum. Et ad id quod adducitur ex quæstione xlvii respondetur, quod D. Thomas ibi longe aliud diversum tractat, scilicet quod plures mundi essent meliores quam unus secundum multitudinem materialem, et quod tale melius non est de intentione Dei agentis. Non vero affirmat quod absolute et ante omnem suppositionem voluntatis divinæ teneatur Deus id quod melius est eligere. Similiter in auctoritatibus illis Scripturæ sermo est de operibus factis a Deo, et quæ subsunt ordini a se determinato, et attributo huic universo, qua determinatione, et suppositione facta, non potuit aliquid melius Deus facere quantum ad ordinem huic statui, et determinationi divinæ convenientem, quod est non posse fieri melius respective, et ex suppositione determinati hujus status, non tamen absolute. Et sic pro isto statu, et sub hoc ordine et respectu non possu-

mus quidquam addere vel detrudere, quia sic totus ordo corrumperetur, ut docet S. Thomas infra q. xxv, art. vi ad iii. Ad auctoritates patrum eodem modo respondeo, quod loquuntur de voluntate divina non absolute eligente, sed ex suppositione, et determinatione hujus universi, et regulis suæ sapientiæ in illo efformando, et fine determinato ad ipsum constituendum, sic enim pulcherrime fiunt, et meliori modo quo esse possunt propter ordinem decentissimum, qui eis attribuitur a Deo, ut dicit S. Thomas quæstione xxv citata, art. vi ad iii, decentissimum inquam, non absolute, sed comparative ad hunc statum, et finem quem determinavit. Nec contra hanc explicationem affert Granados aliquid momenti, eaque est solutio et doctrina S. Thomæ et sic non est quod immoremur.

XXI. Ad confirmationem respondetur Deum perfectissime, et summo modo se amare, qui autem perfecte amat aliquem, vult illi id quod melius est juxta beneplacitum illius, non quod absolute in se melius est, aut nobis melius videtur. Ex bonis autem quæ conducunt ad gloriam Dei, quædam conducunt ad gloriam Dei internam et essentialem, et hæc est sua bonitas et omnia sua attributa, et hæc vult Deus sibi necessario, non ut melius, sed ut optimum. Alia sunt bona extrinseca, et secundaria, a quibus illa prima nullo modo pendent, et gloria quæ ex eis provenit Deo extrinseca est, et tanto ei melior, quanto magis in eis juxta liberum voluntatis suæ consilium operatur. Unde cum Deus sibi velit perfecte et ardentissime bonum, et in manu et voluntate sua sit eligere quod voluerit ex istis bonis extrinsecis, semper vult sibi melius dum voluntati suæ conformius eligit ex omnibus illis bonis. Unde non solum Deus vult sibi melius ex bonis

divinis, sed ex bonis creatis vult sibi melius formaliter, id est, magis secundum suam voluntatem, licet ex parte rei materialiter electæ non sit semper id quod est melius absolute, sed quia hoc ipsum est id quod voluit, et in quo implet voluntatem suam, hoc ipsum formaliter est melius, et magis ad gloriam suam. Nec potest is qui aliquem perfectissime amat, magis ad gloriam suam amare, quam permittendo omnia arbitrio suo, et ut impleat in omnibus voluntatem suam. Nec justi aliter volunt majorem gloriam Dei, quam volendo ut fiat voluntas ejus, sicut in cælo et in terra, sive res in se sint meliores, sive non. Nec tenentur voluntas conformare se ei quod judicat intellectus esse melius, absolute, sed melius respective et proportionate ad regulas sapientiæ suæ et voluntati consilii sui.

XXII. Possent etiam fieri argumenta contra primam conclusionem ad probandum quod Deus necessario amat creaturas, quia actus ille voluntatis necessario in Deo est, et careret aliquo actu, si non amaret, et similiter infinitus amor ejus est erga creaturas, et infinita misericordia, et liberalitas: ergo habet propensionem infinitam in creaturas: ergo non liberam, et denique amando seipsum ut finem, amat creaturas ut media ordinata ad finem; et sic in creaturis amandis semper invenit aliquod bonum infinitum, et necessario amatum, scilicet se ipsum ut finem.

Sed hæc omnia jam supra soluta sunt agendo de constitutione actus liberi in Deo, ubi ostendimus Deum necessario habere entitatem actus liberi, sed non terminationem ad creaturas, nec aliquid deesse Deo si non vellet istas creaturas, sed solum aliquid deesse creaturis, quæ participant bonitatem a Deo, non supponunt illam. Similiter amor

infinitus est ex parte Dei, sed ex parte objecti creati non est objectum adæquatum illi infinito amori, sed inadæquatum, et sic non infinite amatur ab amore infinito, et consequenter nec necessario. Vult autem Deus se ipsum ut finem in creaturis ut mediis, sed ut finem ipsis inadæquate se participantem, nec ab eis ullo modo dependentem. Unde talis finis, licet in se ametur necessario, ut in se est, tamen ut communicabilis mediis, non nisi libere quia inadæquate se habet ad illa, et independenter ab illis est eorum finis.

NOTA.

De ipso actu divinæ voluntatis qui est amor, an sit etiam gaudium, vel ab illo distinguatur in Deo, et an sit amor amicitiae vel concupiscentiæ, hæc et alia similia commodius circa quæstionem xx, ubi sanctus doctor agit de amore, tractabuntur.

DISPUTATIO V.

DE EFFICACIA ET INEFFICACIA SIGNISQUE
DIVINÆ VOLUNTATIS.

ARTICULUS I.

Preludia totius disputationis.

Tria oportet in hac difficillima, et valde controversa disputatione præmittere quasi præsupposita, et præludia totius disputationis.

Primum, quid sit efficax voluntas et quid ad illam requiratur (non loquor de auxilio, sed de voluntate in communi, et de voluntate divina.)

Secundum, quid sit ordo inten-

tionis, et executionis in decretis divinis.

Tertium, quomodo assignanda sint diversa instantia, seu prioritates, aut signa voluntatis divinæ.

EFFICACIA VOLUNTATIS, QUID REQUIRAT.

I. Solet efficax voluntas diversis nominibus appellari, scilicet voluntas simpliciter, ut distinguitur a voluntate secundum quid, quæ ex parte vult, sed non ex toto, nec cum effectu; appellatur etiam voluntas absoluta, ut distinguitur a conditionata, quæ etiam dicitur velleitas, quia per voluntatem inefficacem vellet aliquis rem fieri, et sub conditione, si non esset talis occasio, vel talis circumstantia; ea tamen posita, de facto vult aliter fieri, sicut qui projicit merces in mare occasione tempestatis, vellet autem non projicere, si non esset tempestas, et peccator vellet converti ad Deum, et agere pœnitentiam, si non esset obligatio restituendi alienum, aut dimittendi alienam, sed ea supposita, non vult dimittere, nec pœnitere. Denique, vocatur voluntas efficax, voluntas consequens, et inefficax, antecedens, quia ad illam consequitur effectus ex se, ista vero antecedit effectum, et solum ipsam rei bonitatem vult secundum se, qua etiam ratione vocatur ista inefficax simplex complacentia, alia vero vocatur efficax, quia et rem ipsam, et ea quæ ad ejus positionem et consecutionem requiruntur, vult quasi duplicata voluntas, prior vero et inefficax gaudet, seu complacet de re, de ejus vero consecutione nihil tractat. Nec obstat, quod etiam in simplici complacentia potest esse peccatum, etiam sine ulla voluntate de executione ad extra, sicut